



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Lazarus Mon. 23. Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

136) 136. (oda
bus optulare. Nihil unquam facias, quod indignū
sit capite & corpore, cujus es membrum. Memento,
cujus capitis & cujus corpori sis membrum. S. Leo.

S. LAZARUS MON.

23. Februarii.

*Sicut portavimus imaginem terreni,
portemus & imaginem celestis.*

S. Paul. I. ad Cor. cap. 15.

Imaginem pictoris pinximus, utinam suis
coloribus & tam bonis, quam bonis ille
alios Divos depinxit & LAZARVS est Mo-
nachus idem & Apelles, sed sanctior illo al-
tero, ut qui non iam Veneres Cupidinesq;
(oculorum laqueos) sed Virginem & in
Virginis sinu Virginem Amorem, aliosque
Cæli indigetes animare penicillo solitus est,
eoque studiosius, quod sub eadem tempora
Theophilus Imper. sublata è medio omnia
Divorum monumenta vellet, omnibusque
pœnis in eos sæviret, qui non conspuerent
hæc, pedibusque calcarent. Pugnat ergo
contra barbarum furorem docta manu LA-
ZARVS, & peniculo reparabat, quidquid
ferro ille in templis vel deleverat vel defor-
maverat. Captus igitur & ultimis tormen-
tis

tis excarnificatus, in ipso tamen carcere tro-
 trophæa de Theophilo posuit, quot Icones
 Divorum (plurimæ erant) pinxit. Tunc
 enim verò excanduit irâ Tyrannus, ferroq;
 & ipso candenti patronas Divorum manus
 eò usque fœdum in modum adussit, dum
 exanime corpus dolori succumberet. Neq;
 sic tamen afflicta manus victas dedit LA-
 ZARVS, sed precibus Imperatricis vitâ do-
 natus, continuò in fano D. Baptistæ ejusdē
 imaginem exornare aggressus est. Idem in
 aliis templis, sublato è vivis Theophilo, fa-
 ctitavit, felici semper manu, etsi non habe-
 ret jam manum: *Ex Curopal. & Zona.*

MEDITATIO

De imagine Dei.

1. **A**D imaginem Dei creatus est homo; ejus
 memoria, intellectus, & voluntas augustis-
 simæ Triadis referunt similitudinem, allaborandum
 itaque, ut exemplari quàm simillimæ sint tres illæ
 facultates. Quapropter memoria infinitæ Dei po-
 tentiæ continuò recorderetur, consideret intellectus
 sapientiam filii Dei, qui factus est homo, ut ho-
 mines salvaret; voluntas demum solo divini Spiri-
 tûs igne ardeat. *Diligam te vita anima mea. August.*
2. Impressam animæ nostræ Dei imaginem pec-
 catum omninò deturpavit, & fœdam dæmonis spe-

ciem superinduxit ; Siquidem peccator cum Deo nullam, cum diabolo magnam habet similitudinem. Cujus es imago ? Cui similis ? An Deo ? An demoni ? Vide actiones tuas. Nunquid ex illis tuis actionibus non temerè argui posset, hominem esse te multis vitiis obnoxium, atque adeò te demoni potius, quàm Deo similem esse ?

3. Redde animæ tuæ priorem ejus imaginem. Christus exemplar est, quod semper habere debes præ oculis. Accipe igitur imaginem Christi de cruce pendentis, in hac imagine, sicut in speculo nimè fallaci, vitia tua deprehendes. Ut sis similis Jesu, habeas oportet spineam coronam in capite, in ore fel & acetum, & in toto corpore dolores, & cruciatus: Oportet etiam, ut & omnia facias, & omnia patiaris ad procurandam Dei gloriam. *Sua quicquid vita pictor est, artifex hujus operis est voluntas, colores sunt virtutes, exemplar Christus. S. Greg. Nyss.*

S. MATHIAS.

24. Februarii.

Cecidit fors super Mathiã, & annumeratus est cum undecim Apostolis.

Act. Apost. cap. 2.

Quem locum scelere infandò & morte infami vacuum Iudas fecit, eum hodie MATHIÆ virtus occupavit, numerumque numero